

quæ secundo nupit, teneatur reservare filiis prioris matrimonij acquisita ex substitutione? In quo Costa in cap. si pater, ver. *Consendum*, distinguit bona quæ pupillus habuit à patre, à bonis aliunde acquisitis; ut in primo casu bona reserventur filiis prioris matrimonij; in reliquis verò plena proprietates pertineat ad matrem: & cum sequitur Castillo de usufructu, cap. 2. numero 17. Rodericus Suarez, allegazione 2. ubi agit de matre substituta sub expressa conditione; Si secundas non contraxerit nuptias; per substitutionem pupillarem; & vide Fusarium de substitutionibus, quest. 80. numer. 6. & Gratianum discipulat. 216. num. 19.

Item an in pupillari substitutione frater utrimque conjunctus præferatur; vide Covarruv. practic. 38. ex num. 2. Fachin. controvers. lib. 4. cap. 86.

Item an prælegata, & alia veniant; & comprehendantur in substitutione pupillari; vide Alvaradam de conjectur. ment. defuncti. lib. 2. cap. 2. §. 1. ex numero 7. Fusarium de pupillari, quest. 155. latè & Stephanum Gratianum, discipulat. cap. 28. numer. 19. ubi quod etiam bona postea quaesita comprehendit; & Carcerium variarum, 1. part. cap. 1. numero 36. ubi quod ad substitutum pupillarem pertinent omnia bona pupilli; & etiam testatoris, quæ ad pupillum pervenerunt.



CAPUT V.

De substitutione Fideicommissaria.

SUMMARIA.

- 1 Substitutio fideicommissaria qualiter definiatur.
- 2 Hares gravatus potest sibi retinere quartam hereditatis vel quota, in qua est gravatus.
- 3 Hares rogatus, recusans adire, compellitur hereditatem adire, quo casu quartam non retinet.
- 4 Substitutio fideicommissaria fieri potest venientibus ab intestato, & quos effectus habeat.
- 5 Primus substitutus fideicommissarius, cui est hereditas restituta, etiam potest rogari, ut alteri restituat.
- 6 Si fideicommissarius vendat vel cedat jus suum alteri, an censurarius habeat remedium ali-quod contra heredem.
- 7 An pro fideicommissio universalis competant illa tres actiones, quæ competunt pro legato.
- 8 Mortuo heredem gravato ante aditionem hereditatis, an substitutio fideicommissaria expiret.
- 9 Jus substituti sive fideicommissaria an transeat ad heredem.
- 10 Hares gravatus in diem vel sub conditione, an teneatur adveniente aie vel conditione, redde-re rationem fideicommissario heredi.
- 11 Testator an possit prohibere ne detrahatur quarta Trebellianica.
- 12 Hares gravatus de restituenda hereditate, si non facit inventarium an perdat quartam Trebel-lianicam, sicut perdet quartam Falcidiam.
- 13 Restitutio hereditatis qualiter sit facienda ab heredem substituto fideicommissario.
- 14 Substitutus fideicommissarius, quod remedium habeat contra heredem gravatum pro rebus hereditariis.
- 15 An & quando fructus percepti per heredem gra-vatum veniant in restitutionem fideicommissi.
- 16 Si hares gravatur de restituendo post ejus mor-

tem, quicquid supererit ex hereditate, quid veniat in tali fideicommissio.

- 17 Hares gravatus, qui consequentur fuit bona pu-pilli ex iudicio defuncti, an teneatur ad ea restituenda fideicommissario substituto.
- 18 Hares gravatus an teneatur etiam restituere lega-tum, in quo fuit melioratus.
- 19 Hares gravatus an teneatur restituere partem hereditatis quam habuit virtute juris accres-cendi.
- 20 Hares gravatus de restituenda hereditate cohe-redibus, an censetur gravatus utriusque an pro-portionibus hereditarius.
- 21 Substitutio facta pluribus, an sit necesse, quod verificetur in omnibus, an vero sufficiat veri-ficari in uno tantum.
- 22 Et casu, quo necesse sit in persona omnium ve-rificari, an heredes gravati censentur inter se tacite substitui.
- 23 Quando presumatur substitutio fideicommissa-ria, licet à testatore non exprimat, latissime & modo sequenti.
- 24 Intelligitur text. in l. 3. C. de ineffic. test.
- 25 Si testator instituit filios masculinos universales heredes, & filia in certa re facta substitutio-ne, ut si quis eorum sine liberi decesserit, pars ejus perveniat ad superviventes, mortuo uno ex filiis universaliter institutis, an fi-lia admittatur ad ejus partem, simul cum aliis.
- 26 An substitutio fideicommissa in alieni facta in tempus certa etatis si pura vel conditionalis.
- 27 Si testator gravaret heredem restituere heredi-tatem alteri cum velle, an videat substitutio.
- 28 Si testator reliquit alicui legatum vel fideicom-missarium, quando perveniat legatarius ad legitimam atatem, quo tempore debeatur.
- 29 Jus patronatus quod defunctus habebat in aliqua Ecclesia, an transeat in substitutum fideicom-missum an vere remaneat penes heredem.
- 30 Fideicommissarius, an gaudeat beneficio l. fin. C. de edict. Divi Adriani, tollen.
- 31 Si testator substituat aliquem copulative, vulga-riter & pupillarius & per fideicommissum, an fideicommissarius poterit eligere, ex qua substitutione admittatur.
- 32 Gravatus de restituendo hereditatem post ejus mortem, intelligitur gravatus sub acta con-ditione, si liberus non habuerit.
- 33 An hoc vendicat sibi locum, quando filius non fuit gravatus restituere alteri filio testatoris.
- 34 An prædicta habeant locum, quando Ecclesia fuit substituta, & quid si heres gravatus in-greariat monasterium.
- 35 An etiam quando heres institutus erat extra-neus, vel de ascendentibus.
- 36 Quid quando filius gravatus habebat descen-dentes tempore testamenti, de quibus ipse tes-tator noticiam habebat.
- 37 Si filius gravatus sit restituere qua habet ultra legitimam alteri in vita ipsius filii, an ipso ca-su subintelligatur ista facta conatio si filii non sibi nascantur ante tempus restitutionis.
- 38 Si filius vel descendens si gravatus bona alteri restituere, si decesserit sine filiis masculis, an admittatur filia femina, & substitutus ex-cludatur.
- 39 Quid si testator jubet filio restituere qua ha-bet ultra legitimam nepoti, quem habet ex ipso filio, & postea filio alii filii nascan-tur.
- 40 An si filius gravatus decesserit, cum filio natura-

li, talis naturalis filius substitutum excludat.

- 41 Et quid, si filius gravatus habuit filios, qui sta-tim mortui sunt.
- 42 Filio gravato sub conditione, si sine liberis decesserit, expressa vel tacita, an ejus liberi videantur vocati ex iudicio testatoris, vel dicantur patri substituti.
- 43 Quid autem si sales descendentes posui in con-ditione sint gravati aliquid dare vel facere.
- 44 An dispositio l. cum avus, ff. de condit. & demonst. cum similib. habeat locum in contra-ctibus lucrativis.

Fidei-commissaria sub-stitutio quid sit 1.

**A**LIA est substitutio fideicommissaria per quam quis gravatur restituere hereditatem, vel partem quotativam alteri, & potest sic diffiniri: Fideicommissaria substitutio est quædam obliqua substitutio, seu substitutio totius hereditatis, vel partis quotativæ scilicet per heredem etiam invitum, per quam fideicommissarius efficitur heres effectus & utiliter: textus est in l. 1. & per totum, ff. ad Trebell. text. in l. 1. & per totum, eodem tit. text. in §. 1. & per totum. Inst. de fideicommissi. hered. text. in l. fin. tit. 5. 6. par. & in expresso istam diffinitionem ponit Guillem. in materia substitutionum, Alber. in rub. hujus tit. de vulgar. & pupil. per sol. vers. ex prædictis, pro cujus declaratione dico quod fideicommissaria & obliqua ideo dicitur, quia fideicommissarius non capit directè bona hereditaria sed de manu heredis instituti & gravati, ut in dictis juribus totius, vel partis quotativæ ideo dicitur, quia de re singulari vel particulari, non cogitur rogatus adire, nec restituere, nec habet locum dispositio Trebellianica, nec in aliquo differt à legato particulari. text. est in l. nam quod §. fin. cum l. seq. ff. ad Trebell. text. in l. cogi. §. & generaliter, eod. tit. text. in l. mulier. §. fin. eod. tit. text. in leg. 2. C. com. de legat. per heredem etiam invitum ideo dicitur, quod invitus cogitur adire & restituere, ut in dictis juribus; nec obstat regula textus cum materia in l. nec emere, C. de jure delib. cum similib. quia ad commodum proprium quis non cogitur adire vel contrahere, sed ad commodum alterius, sicut in nostro casu, & materia per quam fideicommissarius efficitur heres effectus, & utiliter, ideo dicitur, quia non potest effici heres directè, cum gravatus semel fuerit heres per aditionem, nec potest habere actiones directas activas, vel passivas, sed tantum utiles, ut in dictis juribus, & §. restituenda, Inst. de fideicom. her. quia duo, vel plures non possunt esse domini, vel heredes in solidum eodem jure, & tempore: ut in l. si ut certo, §. si duobus vehiculum, ff. commodati, & licet regulariter ex juris rigore & dispositione, debitor universalis vel particularis non possit à se excutere actiones passivas, & in alium transferre invitis creditoribus; ut in l. 2. C. de pati. & in leg. 1. de hered. vel act. ven. tamen in hoc casu & materia heres universalis gravatus de restituenda hereditate, & universalis effectus per aditionem potest à se actiones passivas excutere, & in fideicommissarium transferre, etiam invitis creditoribus, per restitutionem hereditatis, autoritate legis; & Senatufconsulti, ut probant prædicta jura, maxime text. in leg. 1. versicul. placuit, cujus verba sunt: Placuit ut actiones, quæ in heredem hereditatisque dari solent, eas nec in eos nec his dari, quibus fidei fuerat commissum, si uti rogati essent, restituisent, & ibi communiter Doctor, & reputat singulariter Jal. 1. col. 1.

num. 3. & eodem l. 2. col. num. 5. Pulchrum tamen dubium est, an dominium, quod tran-sit in fideicommissarium, sit directum, vel tantum utile: & breviter respondeo, quod tantum est utile, per prædicta jura, & directum remanet penes heredem gravatum per aditionem; ita notat Jal. melius quam alibi, in dict. l. 2. l. 5. 22. col. num. 15. ubi bene disputat. Et si quaras, quare ista substitutio non dicitur vulgaris, cum à quolibet, & cuilibet fieri possit; respondeo, quod ideo est, quia potuit sibi nomen imponi ab ipsa substantia & effectu ejus, id est à fide: quam dabit ille, quia erat gravatus hereditatem vel partem restituere, ut probant jura superius allegata, & probat etiam textus in final. C. de fideicommissi.

Et adde, quod talis hares gravatus poterit sibi retinere quartam partem hereditatis, vel quotæ, in qua est gravatus; duplici ratione, vel causa. Prima, quia non repudiet hereditatem, sed spe præmii, velit adire, & restituere. Secunda, ne tamen heredes directi, & actionem directam sit in vacuum, text. est in l. 1. §. si hares, & §. denique, cum sim. ff. ad Trebell. text. in l. 1. & per totum, C. eod. tit. text. clarior, & expressus in §. sed quia heredes, & quasi per totam Institutionem de fideicom-mis. hered. text. in l. fin. tit. 5. 6. par. text. valde notabilis in l. fin. tit. 1. sexta part. quo casu omnes actiones, tam activæ, quam passivæ, dividuntur inter ipsum heredem gravatum, & fideicommissarium, pro suis partibus, ut expressè disponunt prædicta jura superiora. Imò quod magis est, instantia cepta per defunctum super aliqua re hereditaria, transit ipso jure in ipsum fideicommissarium, text. est notabilis in dict. l. 1. §. sublata, ff. ad Trebell. & ibi notat Gloss. ordinaria Bartol. & communiter Doctor, quod intellige quando est accepta cum defuncto; secus verò si cum heredem, quia non transit sine cessione, text. est & ibi Bart. & communiter Doctor, in leg. Lucium, §. rogatus, ff. ad Trebell. text. in l. cum hereditas, la prima, eodem tit. & ibi communiter Doctor, text. in l. si hares pecuniam, eodem tit. idem adde, quod hares gravatus potest ante restitutionem agere, solutiones accipere, & compromittere lites, vel controversias in arbitros, & virtus & effectus compromissi activè vel passivè transit in fideicommissarium; text. est valde notabilis in l. cum hereditas, ff. ad Trebell. quem ad hoc notat & commendat Gloss. ordinaria Bart. Angel. & communiter Doctor; ibi, quod est verum, & procedit nedum in arbitros juris, sed etiam in arbitros arbitratores, secundum Angel. & imol. & licet de hoc Bart. dubitavit: nec obstat text. in l. preses, C. de transactio. quia procedit in procuratore, vel simplici administratore, secus in domino licet gravato restituere, ut in nostro casu secundum eos.

Item adde, quod si hares gravatus nolit adire & restituere hereditatem spontè, cogitur invitus adire & restituere: & hoc casu non potest detrahere quartam, text. est formalis & expressus in l. qui poterat, ff. ad Trebellian. text. in l. revulsare, eodem tit. text. in l. nam quod, §. qui compulsus, eodem tit. ubi pluri dicit, quod non potest penitere, etiam re integra, text. in l. ita tamen, §. qui suspellam, eod. tit. text. in l. non justam, C. eod. tit. text. in §. sed quia stipulationes, vers. fin. Inst. tit. de fideicommissi. text. in l. fin. cogatur

Pulchrum dubium

Ampl. h.

Heres gravatus quantum non possit detrahere quartam



sit. §. 6. part. & text. in l. fin. tit. 11. 6. part. Ex quibus collige, quod quinque sunt remedia Trebelliani. Primum est, quod hæres gravatus cogatur adire & restituere, ut in d. l. quia potest, ff. ad Trebell. Secundum, quod facta restitutione re vel verbo, transeat in fideicommissarium actiones utiles, tam activæ, quam passivæ, text. in l. 1. vers. scilicet. ff. ad Trebellian. Tertium, quod si hæres rogatus post restitutionem conveniatur à creditoribus hæreditariis, habet exceptionem. Quartum, quod si talis hæres rogatus post restitutionem agat, & conveniat debitores hæreditatis, impeditur mediante exceptione: ut in dicit. l. prima. vers. placuit, ff. ad Trebell. Quintum, quod talis hæres gravatus possit detrahere sibi quartam per rationes superiores, ut in d. l. 1. si hæres, cum sequentibus. ff. ad Trebell. & in expresso ista remedia colligit Gloss. ordinaria in l. in testamentis. C. ad leg. Falcid. Bart. & communiter Doct. in dicit. l. 1. ff. ad Trebell. Gloss. etiam notabilis & ordinaria, & ibi Doct. in l. 2. & in l. fin. ff. fideicommiss. h. p. Alb. in rubricis tit. antepen. col. vers. item quæro.

4 Amp. 2. Item adde, quod sicut quis factio testamento potest gavare hæredem de restituenda hæreditate vel parte alteri, ita etiam ab intestato potest gravare hæredes ejus ab intestato succedentes, ut restituant, & similiter hoc casu, si noluit adire, possunt cogi & compelli adire & restituere, & denique in substitutione fideicommissaria, omnia quæ habent locum factio testamento, habent etiam locum ab intestato, text. est in l. 1. §. hoc autem, ff. ad Trebell. textus in l. recurre, §. meminisse, eod. tit. text. in l. eodem tit. text. in §. præterea, Inst. de fideicom. hered.

5 Amp. 3. Item adde, quod primus fideicommissarius, cui est restituta hæreditas, potest etiam gravari alteri restituere, & tali casu transferuntur actiones illa utiles in secundum fideicommissarium, & nulla remanent penes primum, ita probat text. notabilis in l. 1. §. de isto, ff. ad Trebell. & ibi Bart. & communiter Doct. tenet etiam Gloss. ord. Bar. & communiter Doct. in l. ex esse, eod. tit. imò si non est hæreditas restituta, potest secundus, tertius, vel milesimus compellere hæredem gravatum adire, & sibi restituere omisso medio, ita probat text. in l. cogi, §. si ego, in fin. infra ad Trebell. quam ibi ad hoc notat & commendat Bar. Ang. & communiter Doct. probat etiam text. in l. si patrum, §. quod si possessa, eod. tit.

6 Amp. 4. Item adde, quod si fideicommissarius vendat, donet, vel alio contractu cedat, & transferat jus fideicommissi in alium, potest ille tertius compellere, adire, & restituere hæredem gravatum, & uti jure & remediis, quibus ipse fideicommissarius, text. est singularis & unicus in l. si mulier, §. ex esse, ff. de jur. dot. quem ad hoc reputat singularem & unicum Ang. in l. apud Julian. §. utrum, infra ad Trebell. sed hoc casu, qua via & forma agat, & petat, & qualiter concludat, vide ibi notata per Ang. & post eum Imol. & Modernos.

7 Quæ actiones competant per fideicommissa universalia. Quæro tamen pro declaratione prædictorum, an pro fideicommissio universali competant illæ tres actiones, quæ competunt pro legato & fideicommissio particulari, de quibus in l. 1. & 2. C. commun. de leg. Scilicet rei vindicatio, actio ex testamento, & hypothecaria? & breviter & resolutivè dico, quod restitutione facta re vel verbo, non est dubium, quin competant, per argumentum à fortiori, & quia militat eadem ratio: sed dubium est antè restitutionem factam,

& tunc dico, quod rei vindicatio non competit, quia non est transitum dominium, ex quo nascatur rei vindicatio, ut in l. restituta, ff. ad Trebell. & in l. ista eod. tit. & ibi Gloss. ordinaria & communiter Doct. Gloss. in l. Marcellus §. res que, eod. tit. & ibi communiter Doct. pro legato verò vel fideicommissio particulari, bene competit, quia ipso jure abque traditione, vel restitutione est translatum dominium: ut in l. à Titio, ff. de suris, cum similibus, & si dicas, quæ possit esse ratio diverſitatis, per quam dominium magis transeat in uno, quam in alio? responſio est multiplex. Prima, quia in universali non sunt relicte res principaliter, sed in quandam consequentiam, argumento text. l. servum filii, §. fin. ff. de legat. 1. Secunda, quia in fideicommissarium universalem non tranſeunt jura, & actiones activæ, nec passivæ, nisi facta restitutione: ut in l. 1. ff. ad Trebell. cum similibus. Ergo nec dominium, ut omnia jura eodem tempore competant: in legato verò vel fideicommissio particulari statim transit, & competit actio absque aliqua restitutione, ergo & dominium. Tertia quia si in fideicommissarium universalem tranſiret dominium, & commoda, similiter etiam tranſirent onera invito fideicommissario, quod esset inconveniens: ideo requiritur restitutorio. Quarta, quia pro universitate jurium & rerum, non datur rei vindicatio, sed pro rebus particularibus, ut in l. vindicatio, ff. de rei vindicatio. & ibi ordinariè & communiter Doctores, actio verò ex testamento similiter non competit contra hæredem gravatum antè additionem: quia requirit fundamentum obligationis, vel quasi contractus, quia geritur per additionem: hypothecaria verò bene competit contra hæredem gravatum antè additionem, vel post additionem, quia antè additionem competit officium judicis, cui potest adherere hypothecaria, quod est maximi effectus, si forte res propriæ hæredis essent alienatæ antè additionem hæreditatis: & in effectu istam sententiam, & resolutionem ponit Bart. licet non ita declarat, in l. 1. ff. de leg. 1. §. col. num. 8. & ibi Modest. Jal. melius quàm alibi, in rubric. ff. ad Trebell. prima lectura 3. col. num. 8.

8 Fideicommissi substituti expirat morte gravati ante aditam hæreditatem. Item quæro, an si hæres gravatus decedat antè aditam hæreditatem, extingatur & expiret ista substitutio fideicommissaria? in quo breviter & resolutivè dico quod sic, text. est formalis & expressus in l. ille à quo, §. si de testamento, in finalibus, versibus, ff. ad Trebell. & ibi ad hoc notat & commendat Gloss. ordinaria Bartol. Angel. Paul. Imol. & communiter Doct. quod tamen limita & intellige, Primò, nisi talis hæres gravatus decesserit post coactionem: quia tunc non extinguitur, nec expirat, sed hæres ad quem deveniat hæreditas cogitur restituere: ita probat text. notabilis in l. non justam, Cod. ad Trebell. & communiter Doctores in d. l. ille à quo, §. si de testamento, ff. ad Trebell. Secundò, limita & intellige, præterquam si hæreditas non adita sit transmissa ex potentia fuitatis, vel ex potentia sanguinis, vel beneficio juris deliberandi, de quibus aliàs suo proprio loco dixi: quia tunc non extinguitur, nec expirat substitutio fideicommissaria, sed hæres, in quem sit transmissio, tenetur adire & restituere, sicut ipse primus hæres gravatus, argumento textus cum materia in l. eam quam, Cod. de fideicommiss. & in terminis ita probat & declarat Bart. in d. l. à quo, §. de restam. ff. ad Trebell. & ibi communiter Doct.

Tertio

Tertio limita, præterquam, si in testamento sit posita clausula codicillaris; quia tunc fideicommissum universale transit contra hæredes ab intestato, & possunt agi & compelli hæreditatem restituere fideicommissario, argumento text. in l. Scævola, ff. ad Trebell. & eorum, quæ notantur in authent. ex causa, C. de liber. præter. Quartò ego noviter & singulariter limito & intelligo de jure communi, secus tamen est de jure regio: quia teneo, quod indistinctè, modò hæres gravatus decedat antè aditam hæreditatem, modo post, & modo antè coactionem, modo post, & modo in casibus in quibus transmittitur hæreditas, modo non, semper durabit ista substitutio fideicommissaria, & transit ab hæredes gravati, vel ipsius defuncti, argumento text. in l. 1. tit. de los testamentos, lib. 5. ordinamentorum, quæ cavetur, quod omnia contenta in testamento valeant & serventur, modo adeatur hæreditas, modo non, imò etiam si hæres non sit scriptus, nec institutus. \* Ista est veritas. Sed attende, quod non datur sub eodem passivum ex parte conventi, cum nullus sit qui adeat. Sed respondeo quod facta additione ex testamento vel ab intestato, debentur legata: non facta additione, datur curator bonis, & hæreditati jacenti, & curator solvet legata, ita colligo ex mente Bald. & Doctorum in l. 1. C. de sacro sanct. eccles. & in l. tanquam, C. de fideicommiss. \*

9 Quæstio principalis. Item quæro, an jus substitutionis fideicommissariæ transeat ad hæredes activæ, & sic mortuo substituto fideicommissario, cui hæreditas est restituenda antè additionem hæreditatis, & antè restitutionem sibi factam, tranſmittat illud jus substitutionis sibi cõpetens ad hæres? in quo notabili articulo magistraliter, & resolutivè dico, quod si talis substitutio fideicommissaria fiat & relinquatur sub conditione, non transmittitur ad hæredes substituti fideicommissarii, quia etiam legatum & fideicommissum particulare, relictum sub conditione non transmittitur, text. in l. unica §. si autem aliquid sub conditione, C. de caduc. tollend. quod extendi se procedat & habeat locum etiam si fideicommissarius sit de liberis descendentibus, quia etiam ex potentia sanguinis non transmittitur. Gloss. est singularis & unica in l. una, Cod. de his qui ante aper. tab. & ibi Odo. Pet. Cyn. Jacob. Butr. Bart. Alb. Bald. Salic. Alex. & communiter Doct. similis tamen Gloss. est in l. hæredes mei, §. cum ista ff. ad Trebell. & ibi tenent communiter Doct. & idem est, si talis substitutio, legatum vel fideicommissum fiat in tempus mortis gravati, vel in aliud tempus incertum, quia habetur pro conditione, text. est in l. dies incertus, ff. de condit. & demonstr. text. in l. heres meus, eod. tit. & utrobique communiter Doct. si verò talis substitutio fideicommissaria fiat & relinquatur purè & simpliciter, & fideicommissarius decedat antè restitutionem sibi factam, bene f transmittit ad hæredes jus prædictæ substitutionis fideicommissariæ, quia si hæres gravatus jam adivit, competit ipsi substituto fideicommissaria actio ex testamento pro restitutione sibi faciendâ, & illam transmittit ad hæredes. Si verò nondum adivit, competit judicis officium, ut adeat & restituat, & illud similiter transmittit, argumento text. in l. non solum, ff. de integram restit. & in l. 1. & per totum, Cod. de hered. actio. & in expresso ita probat text. in l. cogi, §. idem Meccianus, ff. ad Trebell. text. in l. Seius Saturnianus, eod. tit. textus in l. possulante, eod. tit. text. in l. qui datur ita,

Dicitur.

eodem titul. textus. in l. & in persona, Cod. de fideicommissar. textus in l. unica, §. in novissimo, Cod. de caduc. tollend. & utrobique communiter Doct. tenet etiam & declarat Bart. in l. cum filio, ff. de leg. 1. per colum. num. 12. & ibi communiter Doct. idem Bart. & communiter Doct. in l. à restatore, ff. de condit. & demonstrat. nec obstat, quod hæres directus ex testamento vel ab intestato non transmittat hæreditatem non aditam ad hæredes, nisi in casibus specialibus: ergo similiter & eadem ratione videbatur, quod fideicommissarius universalis non transmitteret, quia hæres antè aditam hæreditatem nullum jus habet quod transmittere possit, ut in l. preter rerum, ff. ad l. Falc. fideicommissarius verò habet jus formatum, & in esse productum, ut supra dixi, quod est transmissibile ad hæredes. \* Vel aliter & secundò potest dici, quod hæres directus ex testamento vel ab intestato antè aditam hæreditatem non transmittit, quia videtur esse in culpa non acceptando illud jus adeundi facillimum, quod est in sua mente & voluntate, ut in l. legit, cum similibus, ff. de acquirend. hæredita. sed fideicommissarius, cui est fienda restitutorio, non est in tanta culpa, cum ita faciliter non possit adire, sed oportet viâ juris ordinariâ petere & implorare solemniter officium judicis, ut sibi fiat restitutorio. \*

10 Amplia. Item adde, quod hæres gravatus in diem vel conditionem tenetur post tempus restitutionis reddere rationes ipsi fideicommissario text. est in l. mulier, §. primo, de condit. & demonstr. & Gloss. ordinaria & communiter Doct. ex quo inferri ibi Bald. Imol. Paul. & communiter Doct. quod tenetur facere inventarium tanquam caput rationum, argumento textus in l. tutor qui rectorium de administr. tutor. & in l. 1. §. officio de vul. & rat. dist. & dare copiam ejus fideicommissario, ut appareat, quid, & quantum debeat restitui, adveniente tempore, vel conditione, quod intellige nisi testator vetuit: ita Gloss. ordinaria in d. d. cum tales, 1. & ibi communiter Doct. & illam ad hoc summè notat & commendat Bald. in l. filium quem, C. famil. erofis. fin. colum. & quæstione.

11 Quæro tamen, an testator possit prohibere, ne detrahatur ista quarta Trebellianica ab hærede gravato? & videtur, quod non. Primò, quia de jure Digestorum, & Codicis non potest quarta Trebellianica prohiberi, textus est in l. denique, vers. inde Neratius, ff. ad Trebell. & ibi Gloss. ordinaria & communiter Doct. text. in l. quod de bonis, §. 1. ff. ad leg. Falcid. text. in l. Titia, eodem tit. text. in l. si ut allegat. Cod. ad leg. Falcid. in §. sed quia stipulationes, in fin. de fideicommiss. hered. & licet de jure novo authentica possit prohiberi quarta falcidia, ut in authent. sed cum restator. Cod. ad leg. Falc. tamen non corrigitur jus antiquum in quarta Trebellianica, ut etiam possit prohiberi. Secundò, quia hæres gravatus potest compelli adire, & restituere: hæres vero oneratus legatis, & fideicommissis particularibus, non potest compelli, ut in l. nam quod, §. fin. cum l. 2. ad Trebell. Unde cum longè differat una quarta ab alia, non sequitur, quod licet hodie possit prohiberi Falcidia, possit prohiberi Trebellianica. Tertio, quia lex nova, vel dispositio correctoria, non est extendenda etiam ex identitate, vel majoritate rationis, ut in authent. quas actiones, Cod. de sacro sanct. Eccles. & ibi Gloss. ordinaria & communiter Doct. & in expresso ita tenet Gloss. ordinaria in dicit. l. si ut allegas, Cod. ad leg. Falcid. & ibi Jacob. Butr. Bald. & alii Doctores. Jacob.



Jacob. de Belvis in *authen. de hered. & Falcid.* §. *hinc nobis*, §. col. 11. *quest.* Joan. de Imol. Alex. & alii in l. *Marcellus*, ff. *ad Trebell.* Roman. in *authen. similiter*, Cod. *ad leg. Falcid. penult. column. num. 10.* Sed his non obstantibus contrarium est tenendum: imò quòd testator possit eam prohibere. Primò, quia in jure novæ authenticæ quo permittitur testatori prohibere Falcidiam ut in d. *auth. sed cum restator & unde sumitur*, est expressa ratio, quare possit prohiberi Falcidia: quia si heres nolit adimplere voluntatem defuncti; testamentum non annullatur, sed hereditas defertur aliis personis ibi enumeratis, & in *auth. hoc amplius*, *C. de fideicom.* quæ ratio etiam militat, quando prohibetur Trebellianica, & quando in lege nova corrigente est expressa ratio, tunc ex identitate illius rationis bene potest fieri extensio, & correctio, ut probat text. in *auth. de her. ab intest. venient.* s. *ex his authent.* junctâ Glo. ordinaria & communis opinio coll. 9. & tenet Bald. & communiter DD. in d. *auth. quas actiones*. Paul. & alii Doct. in l. *quævis*. C. *de fideicom.* probat etiam text. in *l. cum mulier*, ff. *sol. matr.* & ibi Raphael. Cuman. & alii etiam Doctor. Secundò & notabiliter, quia quando per extensionem legis correctoria, reducitur ad jus antiquum commune, bene fit extensio, quia res de facili revertitur ad suam naturam, ita tenet Glo. ordinaria & melior de jure in *capitulo statutum*, in verbo *overandum*, de *pred. in 6.* & ibi communiter notant, & commendant DD. & tradunt Alexand. & Mod. in l. *si constante*, ff. *sol. matr.* sed de jure antiquo duodecim tabularum omnia legata & fideicommissa particularia & universalia, integre debebantur nullâ quartâ detractâ in l. *verbis legis* ff. *de verb. sign.* & in §. 1. *Inst. de l. Fac.* Ergo hodie valeat prohibitio quartæ Falcidiæ, & Trebellianicæ; & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Glo. ordinaria *auth. de hered. & Falcid.* §. *si vero expressum*, in *gloss. sin. collat. prima*, & ibi Ang. & Doctor. Glo. in §. *sed quia stipulationes*, *Inst. de fideicommiss. hered.* & hanc g. dicit magis communem opinionem Jaf. in l. *Marcellus* 10. *column. num. 8.* imò quòd magis est, in eo ipso, quòd testator prohibet Falcidiam, videtur prohibere Trebellianicam, & contra, propter maximam similitudinem earum; ita Mata in *repet. d. l. filium quem habentem*, *penult. column.* licet Jaf. reprober in d. l. *Marcellus* 12. *column. n. 45.* ex quibus infero, quòd sicut in relictis ad pias causas cessat Falcidia, ut in *authen. similiter*, C. *ad leg. Falcid.* ita cessat Trebellianica, & in expresso ita tenet Bart. qui bene fundat, & declarat in l. *Marcellus*, §. *in ad Treb. 3. col. n. 5.*

Falcidia quare possit prohiberi.

Falcidia cum prohibetur, videtur etiam prohiberi Trebellianica.

Item heres qui non conficit inventarium, perdit Trebellianicam.

& videtur quòd sic, Primò, quia heres, qui non conficit inventarium, præsumitur subtraxisse res hereditatis, & itò tenetur in solidum creditoribus ac legatariis, etiam ultra vires hereditatis, & non potest detrachere quartam Falcidiæ. Ergo eodem modo tenetur solvere fideicommissum universale sine detractioe quartæ Trebellianicæ. Secundò, quia textus in d. §. *fancimus*, expressè dicit, quòd heres tenetur conficere inventarium, & in ejus confectioe debent citari legatarii, fideicommissarii, creditores, quibus interest, & aliter tenetur eis in solidum. Ergo non confectio inventario, vel eis non citatis, tenetur in solidum, & à fortiori, ille textus in quantum loquitur de fideicommissariis, debet intelligi de universalibus, quia prædixerat de legatis, etiam quia fideicommissariis universalibus magis interest, quàm particularibus. Tertio, quia quando in lege vel dispositione nova est expressa ratio fundamentalis, ejus bene potest fieri extensio, etiam in correctoriis, ut notatur per Glo. & Doct. in *authen. quas actiones*, C. *de sacrosanct. Eccl. les.* & dixi in articulo præcedenti, sed in nostro casu ratio est expressa, quia præsumitur heredem subtraxisse bona hereditaria, & illa etiam militat in fideicommissio universalis. Ergo de eo non detrachatur quarta, sicut nec de legatis, & in expresso ita tenet Bald. & Joan. de Imol. in l. *cum tale*, §. 1. *ff. de condit. & demonstrat.* Cynus in *auth. sed cum restator*, *C. de leg. Falcid. sin. col. 8. quest.* & ibi Bald. *column. Salic. sin. col. pen. quest. Fulg. sin. column. & questione*, dicens, se ita consultasse in magna, & ardua causa; hæc dicit communem opinionem Joan. de Imol. in l. *Marcellus* ff. *ad Trebellian.* in *finalibus verbis*, & ibi Socin. *sin. col. Ludo. Roman. in authent. similiter*, *C. ad leg. Falcid.* 50. *column. numero 104.* Ang. de Perus. in l. 1. §. *hec stipulatio*, ff. *qui plusquam per l. Falcid.* 2. *column. in sin.* Ang. de Aret. in §. *extraneis* *Inst. de hered. qual. & dist.* 2. *col. num. 4.* Item Ang. in §. *sed quia stipulationes*, *Inst. de fideicommiss. hered. sin. col. & questione* ubi dicit, irâ fuisse judicatum Ferraria: Sed his non obstantibus, contrarium est tenendum: imò quòd prædictus heres gravatus per non confectioem inventarii, non perdat quartam Trebellianicam, Primò, quia in correctioibus, maxime pœnalibus, non est licita extensio, etiam ex identitate, vel majoritate rationis. Ergo jura nova, quæ disponunt, quòd heres amittat quartam Falcidiæ, non extenduntur ad quartam Trebellianicam, Secundò, quia ratio, & verba juris novi, punientis heredem in amissione Falcidiæ, non militant nec habent locum in Trebellianicam, nec ei possunt adaptari: quia habes gravatus legis, & fideicommissi particularibus per non confectioem inventarii, tenetur ad omnia integra solveoda, licet hereditas non sit solveoda, quia sunt certa particularia, & determinata, & præsumitur heres subtraxisse res hereditatis, ex quibus solvere poterat; sed heres universaliter gravatus, restituere hereditatem non tenetur ad quid certum particulariter, & determinatum modo, ut cognoscamus in quo, vel quando sit scienda solutio & restitutio, & cujus valoris erat hereditas, unde per non confectioem inventarii, non potest dici, nec præsumi certa, vel determinata quantitas, vel hereditas, in qua heres gravatus tenetur & puniatur: ergo bene sequitur quòd non debet perdere quartam Trebellianicam, & ista est nova & concludens ratio & consideratio, & in

Ratio 1.

Ratio 2.

Argumentum contra prædicta.

Fund. 1.

Fund. 2.

expresso istam sententiam & conclusionem tenet Bart. in l. *Marcellus*, ff. *ad Trebellian.* *sin. column. & questione*, & ibi Angel. de Perus. Paul. de Cast. Alex. & Jaf. idem Bart. in *authen. sed cum restator*, C. *ad leg. Falcid. penult. column. numero 12.* & ibi Bald. 1. *column. in sin.* & alii Doctor. Rosfred. in *lib. suis*, in *tit. de Senat. cons. Trebel. 1. column.* Jacob. de Bellovis in *authen. de hered. & Falcid.* *hinc nobis*, 6. *column.* 13. *quest.* Oldrad. in l. *sin. §. final. C. de jur. delib.* Bald. in l. *filium quem habentem*, C. *famil. ercifund.* 11. *column. numer. 43.* Paul. de Castr. in l. *cum tale* §. 1. *de condit. & demonstrat.* & hanc dicit communem opinionem Jaf. in d. l. *Marcellus* ff. *ad Trebell.* 13. *column. numero 50.* qui de ea notabiliter loquitur usque in finem legis, per 4. *column.* & istam dicit magis communem opinionem Jacob. de sanct. Georg. in l. *sin. §. licentia* C. *de jure delib.* Si autem heres gravatus fecerit inventarium bene potest fideicommissario universalis, cui hereditas est restituta, ut ipse non tenetur facere, sed gaudet beneficio, & commodo ejus, argumento l. *si heres pecuniam* ff. *ad Trebell.* & in l. *si post*, ff. *de constit. pecun.* per quæ jura ita tenet expressè Bartol. in *l. ratione*, §. *quod vulgo*, ff. *ad leg. Falcid. sin. column. numero 19.* Ang. de Perus. in l. 1. §. *hec stipulatio*, 2. *col. in sin.* ff. *qui plusquam per l. Falcid.* Ricar. & Cynus in d. *l. si heres pecuniam*, quod ipsi intelligunt, quando jus questum ex fideicommissario ceditur ab heredem gravato ipsi fideicommissario. Sed contrarium & melius tenet Joan. de Imol. d. §. *hec stipulatio* 2. *col. in medio*: imò quòd profit & transeat in fideicommissarium sine aliqua cessione, argumento text. in *lib. aut. prator*, cum *lib. sequen.* ff. *de jure jur.* text. in *lib. sent.* §. 1. ff. *de quib. mod. pig. vel hypoth. solv.* text. in l. *rescriptum*, §. *sin. cum pluribus legib.* sequentibus, ff. *de pactis*: idem Imola in l. *in ratione*, §. *quod vulgo*, ff. *ad leg. Falcid. sin. col. & questione*, & ibi Alexand. 8. *col. num. 18.* & alii moderni. Bald. in *authen. sed cum restator*, C. *ad leg. Falcid.* 3. *numero 9.* idem Bald. in l. *filium quem habentem*, C. *famil. ercifund. penult. column. numero 47.* idem Bald. in l. *sin. §. cum igitur*, C. *de jure delib.* idem Bald. in l. 2. *C. ad Trebel.* Roman. in *authen. similiter*, C. *ad leg. Falcid. penult. column.* & istam dicit communem opinionem Alex. in l. *centurio*, infra *tit. 7. column.* licet fecus sit, quando quis admittitur ex substitutione directa, secundum eos unum tamen est, quòd licet talis heres gravatus per non confectioem inventarii tenetur in solidum creditoribus & legatariis, tamen non perdit debitum, quòd sibi debetur ab ipso defuncto, sed potest deducere & sibi retinere, vel petere à fideicommissario, ita singulariter Paul. de Castr. ubi bene fundat in l. *ita tamen*, §. *si ex Trebelliano*, ff. *ad Trebellian.* ubi reputat not. & menti tenendum, & ab aliis non tacum, & idem tenet Socin. reputans singulare in l. *debitori*, C. *de pactis*, non allegando Paul. Idem etiam tenet Paul. in *l. ab omnibus*, §. *sin. ff. ad leg. 1. Rapha.* Cum in l. *debitori*, ff. *ad Trebellian.* Fran. de Aret. in l. *cum hereditas*, ff. *de acquir. hered.* Alexand. in d. *l. ita tamen*, §. *si ex Trebelliano*, ff. *ad Trebell.* licet contrarium tenet Imol. locis allegatis per Alexand. si vero heres gravatus non fecit inventarium, bene poterit facere fideicommissarius ex persona sua, & gaudet commodo, & beneficio ejus, cum sit heres utiliter, & effectus, ut in l. *filius*, §. *primò*, ff. *quod cum eo confirmatur* ex Glo. singulari & unica in l. *cum filio*, in verbo *retenturum*, ff. *de legat. primò*, ubi dicit, quòd licet fideicommissarius decedens ante aditam hereditatem, & restitutioem sibi factam, non trans-

mittat jus fideicommissi universalis, sicut heres non transmitit hereditatem non aditam: tamen si decedat infra tempus deliberandi, bene transmittit jus fideicommissi ex capite juris deliberandi. Ergo aperte vult, quòd si fecerit ex sua persona inventarium, gaudeat commodo & beneficio ejus, & illam Glossam ad hoc reputat singularem, & unicam Angel. in l. 1. §. *hec stipulatio*, ff. *si cui plusquam per leg. Falcid.* pro qua videtur mihi casus expressus in §. *si quis una*, *Inst. de fideicom. hered.* ibi, & secum deliberare debet is cui restituit hereditas, an expediat sibi restitui, & idem tenet & sequitur Joan. de Imol. in d. §. *hec stipulatio*, 3. *column.* Jacob. de Bellovis in d. *authen. de hered. & Falcid.*, §. *fancimus*, colla. 1. Specul. in *tit. de instrum. edit. §. editio*, *versicul.* *quid si heres*. Bart. in d. l. *in ratione*, §. *quod vulgo*, ff. *ad leg. Falcid. sin. column. & questione*. & ibi Alexand. *penult. column. §. q. num. 19.* idem Bart. in l. 1. §. 1. ff. *de jure delib.* Cyn. Bal. & alii Doct. in l. 3. C. *ad Trebel.* *sin. g.* idem Bal. in l. *filium quem habentem* C. *famil. ercifund.* pen. *col. num. 48.* Angel. Imol. Paul. de Cast. & communiter Doct. in l. 1. §. *itis quadragesima*, ff. *ad Trebellian.* & istam dicit communem opinionem Alex. in d. l. *in ratione*, §. *quod vulgo*, ff. *ad l. Falcid. pen. col. 8. quest.*

Item quero, qualiter fiat restitutio ipsi fideicommissario: & magistratiter, & absolute dico, quòd dupliciter, scilicet re, vel verbo: re quando heres gravatus vel alter per eo, ut procurator, curator, tutor, negotiorum gestor, ipso postea ratum habente, realiter, & de facto restituit res hereditarias fideicommissario, vel sua voluntate permittit quòd capiuntur, & possideantur ab eo: verbo, quando sine aliqua restituitioe facti, heres gravatus restituit hereditatem, & jura ejus, fideicommissario, & primo casu transit dominium utile & plena possessio in ipsum. Secundo verò casu tantum transit dominium, non vero possessio, sicut nec in verum, & directum heredem transit, facta additione verbali sine apprehensione. Ex quo deducitur & infertur, quòd sicut additioe facta per heredem universalem transit dominium directum, & omnia defuncti in heredem, non tamen possessio, ut in l. *cum heredes*, ff. *de acquir. possess.* cujus pulchra verba sunt: *Cum heredes instituti sumus, additione secuta omnia quidem jura ad nos transeunt, præterquam possessio, & c.* ita etiam facta restituitioe etiam verbali, transit in fideicommissarium dominium utile & omnia alia jura defuncti, licet non possessio ante apprehensionem; textus est capitalis & expressus in l. *restitutio*, ff. *ad Trebellian.* cujus verba sunt: *Restituta hereditas videbitur aut re ipsa si forte passus est heres possideri res hereditarias vel totas, vel aliquas earum, hæc mente ut vellet restituere, & illo suscipere, non si ex alia causa passus est restituere: sed est postea ratum habuerit, idem erit dicendum, sed est verbo dixit se restituere, vel per epistolam, vel per nuntium restituat, audietur: & ibi Glo. ordinaria, Bar. Alber. Angel. Paul. Joan. de Imol. Alex. communiter Doct. text. in l. *falla* *cod. tit. cujus pulchra verba sunt: facta fideicommissi restituitioe scilicet omnes res in bonis sunt ejus, cui restituta est hereditas, & si nondum earum natus fuerit possessio, ubi Glo. ordinaria & communiter Doct. ex quo inferunt Doct. ibi, quòd ante talem restituitioem, non potest fideicommissarius agere contra debitores hereditares vel rerum possessores, cum nullus jus in eum sit transfatum, & ex hoc fecerunt revocare plures processus.**

Idem adde, quòd facta restituitioe unius tantum rei, facta, vel verbo, transit in fideicommissarium

Restitutio qualiter fiat fideicommissario

Ampl. 1.



missarium dominium, & omnia illa jura in omnibus rebus hereditariis: nam sicut hæres universalis per additionem factam in una tantum re vel per animum, & actum adhibitum in una tantum re, videtur universaliter adire: ut in *gerit*, & in *leg. pro herede cum materia ff. de acquir. hered.* ita etiam in fideicommissio universalis, facta restitutione in una tantum re transit in fideicommissarium dominium, & jus universale omnium rerum, & totius hereditatis, argumento prædictorum jurum, & in expresse ita tenet Gloss. ordinaria in *d. l. restituta*, ff. ad Trebell. & communiter Doct.

Ampl. 2.

Item adde & extendi, quod sicut facta restitutione hereditatis solum transit dominium in fideicommissarium, quando defunctus erat dominus ita etiam transit quasi dominium & publiciana, quando non erat dominus, text. est notabilis, & expressus in *l. cum sponsus*, §. 1. ff. de public. & cujus verba sunt: *is cui ex Trebelliano hereditas restituta est, etiam si non fuerit nactus possessionem, nisi potest publiciana*, & ibi Gloss. ordinaria, & communiter Doct. & idem est in legatario, vel fideicommissario particulari: quia sicut in eum transit dominium, ita transit publiciana, imò generaliter in casibus, in quibus ex solo titulo habito à domino, transit dominium, in eisdem transit quasi dominium, & publiciana ex solo titulo habito à non domino: ita tenet gloss. nostra ordinaria in *l. 3. ff. de publiciana*, & ibi Bart. & communiter Doct. intellige secundum eos, quando ille, à quo habetur titulus, habeat publicanam: secus vero aliàs, ita Bart. in *l. 1. §. 1. ff. de public.* & ibi communiter Doct. idem Bart. in *l. cum sponsus*, §. 1. eodem tit. Bald. in *l. fin. de sacro. an. Eccles.* 2. column. idem Bald. qui subtiliter loquitur in *l. cum qui*, §. *prator nis*, ff. de public. Abb. in cap. 11. de consuetud. 6. column. & ibi Imol. pen. column. Ja. in §. *sed isti quidem*, de arb. 6. & 14. column. per quos vide rationem.

14 Remedium fideicommissarii univers. salis contra heredem gravatum pro reb. hereditariis.

Item quero, quod remedium habeat fideicommissarius universalis contra heredem gravatum pro rebus hereditariis, in quo articulo breviter & resolutivè dico, quod si heres gravatus nondum adivit hereditatem, cogitur, & compellitur adire, & restituere officio judicis nobilis: ita probat textus qui sic debet intelligi in *leg. quia poterat*, ff. ad Trebellian. cujus verba sunt, *quia poterat fieri, ut heres institutus nollet adire hereditatem, verius ne damno afficeretur, prospectum est, ut si fideicommissarius diceret suo periculo adire, & restitui sibi velle, cogatur heres institutus a pratore adire, & restituere hereditatem*, & ibi notat Dynus, Bartolus, Albericus, Angelus, Paulus, Imol. & communiter Doct. text. in *l. non est cogendus*, & ibi Glossa ordinaria finalis & communiter Doct. eod. tit. text. in *l. ille à quo*, §. *temporarium*, eod. tit. text. in §. *ergo*, versicul. *sed si recuset*, ibi, *justi pratoris adest & restituit hereditatem*, Insti. de fideicommiss. de hered. text. in *l. sed quia stipulationes*, versicul. *sed etiam eod. titul.* tenet etiam Gloss. ordinaria in *l. 2. in fin. ff. de fideicommiss. hered. per.* & ibi Doct.

Si vero heres sponte adivit, non tamen vult hereditatem restituere, potest fideicommissarius eum compellere sibi restituere, actione ex testamento, tanquam obligatus ex additione hereditatis, per quam fit inter duos quidam quasi contractus, argumento text. in *l. apud Julianum*, §. *fin. ff. quib. in pos. eat.* text. in §. *heres instituitur*, de obligat. quæ ex quasi contr. & in

expresse ita tenet Gloss. ordinaria in *l. restituta*, ff. ad Trebellian. ibi communiter Doct. Gloss. etiam ordinaria in *l. & sine scriptura*, C. eodem tit. & ibi Cynus, Angelus, Baldus, Salicetus, & communiter Doctores. Ita etiam tenet & declarat Bartol. in *l. si legatus*, ff. ad Trebellian. & ibi Albericus, Angel. Paul. & communiter Doct. Ja. in *l. cum filio*, ff. de legat. 1. 22. column. num. 113.

Unum tamen est quod hoc casu, quando heres coactus adivit, potest postea per fideicommissarium compelli actione ex testamento, sibi restituere hereditatem, quia utroque casu geritur inter eos ille quasi contractus, ex quo obligatur: ita tenet, & declarat Angel. & Ioan. de Imol. in *d. l. si legatus* ff. ad Trebell.

Si vero heres gravatus adivit sponte, vel coactè, & restituit hereditatem fideicommissario solo verbo, competit contra tertium particularem possessorem actio universalis (fideicommissaria hereditatis petitio) sicut competeat petitio hereditatis heredi directò universalis: quia illud quod operatur aditio hereditatis, in eo simili modo operatur restitutio verbalis in fideicommissario, text. est formalis & expressus, qui sic debet intelligi, in *l. 1. 2. & 3. ff. de fideicom. hered. petit.* & ibi tenet Gloss. ordinaria, Olofred. Bart. Alber. & communiter Doct. contra ipsam vero heredem hoc casu non competeat, quia possidet eum titulo institutionis directæ & post restitutionem retinet jure directæ: ita probat text. in *l. 3. ejusdem tit. versicul. sciendum*, cujus verba sunt: *Sciendum est, hanc actionem adversus eum, qui restituit hereditatem, non competeat*. Sed hoc casu competeat actio ex testamento tanquam contra obligatum ex additione, argumento text. in *d. l. apud Julianum*, §. *fin. ff. quib. ex caus. in pos. eat.* & in §. *her. instituitur*, de obligat. quæ ex quasi contr. n. 5. & ita tenet & declarat ibi notabiliter Paul. de Castr. 2. col. n. 2. & Raph. Fulg. fin. col. in *fi. licet* Gloss. Bart. & alii non ita declarant, & tenet Angel. Imol. & Alexand. in *d. l. si legatus*, ff. ad Trebell. & in *l. Papinianus*, eod. titul. Si vero heres gravatus adivit sponte, vel coactè, & plenè restituit hereditatem fideicommissario re & verbo: & postea fideicommissarius cadat à possessione, vel detentione alicujus rei, vel rerum, non habet fideicommissariam hereditatis petitionem, quia sicut petitio hereditatis non competeat heredi post semel adeptam possessionem (ut suo loco dixi) ita nec ista competeat fideicommissario, sed tantum competit utilis rei vindicatio probato dominio ipsius defuncti, vel publiciana probato quasi dominio, Doct. in *d. l. de fideicom. her. petit.*

Item quero, si fideicommissarius decedat ante restitutionem sibi factam re, vel verbo, an transmittat, hereditatem: & jus universale fideicommissarii ad hæredes: & videtur, quod non, sicut nec ipsa hereditas directò relicta, vel bonorum possessio transmittitur, ut in *l. unica*, in *novissimo*, Cod. de caduc. tollend. & in *l. 3. §. acquirere*, ff. de honor. posses. cum simi. & ita probat text. in *l. apud Julianum*, §. *utrum*, ff. ad Trebellian. & in expresse isto fundamento, & ratione, ita tenet Gloss. ordinaria in *l. cum filio*, ff. de legat. 1. in verbo, *retenturum*, Gloss. etiam ordinata in *l. à testatore*, ff. de cond. & demonstr. in glossa fin. Azor. in *summa*, C. ad Trebell. 2. column. in fin. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum. Imò quod talis fideicommissarius transmittat hereditatem ad hæredes, quod extendit ut procedat,

Fideicommissarius transmittit hereditatem ante restitutionem

procedat, & habeat locum, etiam si decedat ante aditam hereditatem per heredem gravatum, primò ratione fortissima: secundò juribus expressis: ratione: quia licet hereditas non adita non transmittatur, ideo est, quia ante ejus aditionem nullum jus formatum nec in esse productum competit heredi, quod transmitti possit: sed quædam personalis facultas adherens animo ejus quæ non est in bonis ejus, ut in *l. præter rerum*, ff. ad leg. Falcid. Sed fideicommissarius universalis ante restitutionem sibi factam, & ante aditam hereditatem per heredem gravatum, habet aliquid jus jam formatum, & in esse productum, sibi quantum, scilicet officium judicis ante aditam hereditatem: ut heres gravatus compellitur adire, & restituere: & actionem ex testamento postquam heres adivit, ut compellatur restituere, & utrumque jus est transmissibile ad hæredes, ut in *l. solum*, ff. de h. intergr. restit. & in *l. unie. C. ut actio ab herede*, & contra hered. Secundò pro hac sententia & conclusione facit text. in *l. postulate*, ff. ad Treb. text. in *l. cogi*, §. *idem Mecianus*, eodem tit. textus in *leg. Sertus Saturninus*, eodem tit. textus in *l. veria*, §. 1. versicul. *idem dicendum*, ff. de adm. legat. textus in *l. veria*, C. de fideicom. text. in *l. si in persona*, eodem titul. Et in expresse istam sententiam & conclusionem tenet Gloss. ordinaria in *dicta l. cogi*, §. *idem Mecianus*, ff. ad Trebell. in verbo, *successerint*, & ibi Paulus, & communiter Doctores, Gloss. ordinaria in *l. apud Julianum*, §. *utrum*, in verbo, *decesserit*, & ibi Doctores, eodem tit. tenet etiam notabiliter Bartolus, in *l. cum filio*, ff. de legatis primo, pen. column. num. 12. & 13. ibi Paulus de Castr. pen. column. Alber. fin. column. Joan. de Imol. 6. column. Cuman. pen. column. Soc. singulariter & melius quam alibi, 16. column. versicul. *circà quintam quest.* Bart. per 3. column. usque in fin. Alex. 10. column. num. 21. Ja. qui dicit hanc esse magis communem opinionem & ibi Ripa; dicens esse communem opinionem pen. column. n. 125. idem Bart. Paul. Imol. & communiter DD. in *l. quidam in testament.* ff. ad Trebellian. Bart. & antiqui in *l. 3. de reg. Cato*, Cin. Bald. Paul. Ja. & communiter Moderni, in *l. 3. C. de fideicom.* Bald. & communiter Doct. in *l. si persona*, eod. titul.

1) Fructus percepti per heredem gravatum quando veniant in restitutionem fideicommissarii

Caf. 1.

Caf. 1.

Caf. 3.

Item quero, an & quando fructus percepti per heredem gravatum veniant in restitutionem fideicommissarii: in quo articulo resolutivè dico, quod si sunt percepti jacentes hereditate, veniunt in restitutione: ita probat textus in *leg. de tamen*, §. 1. ad Trebellian. ibi, sicut fructus ante aditam hereditatem in restitutione veniunt; quod tamen intellige, quando heres adivit coactè: secus vero si sponte: quia non tenetur restituere quia videtur percepti negligentia non potens: ita probat *l. si mulier*, §. *si heres eodem tit.* & utrobique Bart. & communiter Doct.

Si vero sunt percepti post aditam hereditatem datà negligentia in fideicommissario præente, vel absente, non veniunt in restitutione: text. est in *d. l. mulier*, §. *si heres*, 1. ref. eod. tit.

Si vero sunt percepti post aditam hereditatem datà negligentia in herede gravato non solvente, veniunt in restitutione, vel computat in quartam, & superfluos restituit: text. est notabilis in *l. in fideicommissarium*, ff. ad Trebellian. facit text. in *l. Paulus respondit*, §. *fin. ff. ad legem Falc.* text. in *l. quod de bonis*, §. *quod avus*, eod. titul.

Si vero expresse testator justis fructus restituit, indistinctè debentur, & veniunt in restitutione, Ant. Gomez. Variæ Resol. Tom. 1.

textus est in *dicta l. in fideicommissarium*, & idem est quando tacite & expresse voluntate voluit restitui; ut quia posita est dilatio grati fideicommissarii: ut in *l. si ita restitutum*, §. *Pegulus*, ff. de legat. 2.

Caf. 2.

Si vero sunt percepti ab ipso herede gravato judicio testatoris: ut quia est gravatus restituere sub conditione, vel in diem, tunc computat sibi in quartam, sed superfluos non restituit, textus est in *d. l. mulier*, §. *alia causa*, ff. eod. tit. textus in *d. l. in fideicommissarium*, vers. *plene*, eod. tit.

Caf. 3.

Si vero heres gravatus jam restituit hereditatem saltem verbo, fructus postea percepti debentur fideicommissario, tanquam ex re propria percepti, etiam datà negligentia in ipso fideicommissario in petendo, sicut diximus in legatario, vel fideicommissario particulari, cui debentur fructus à morte testatoris: quia in eum est translatum dominium, ut in *l. herennius*, ff. de usufruct. & in *l. 1. §. 2. Cod. de usu*, & fruct. legat. & in *l. si ibi homo*, §. *cum servus*, ff. de leg. 1. & utrobique Bart. & Doct. Et idem est in casibus, in quibus restitutio fideicommissi censetur facta ipso jure, qui ponuntur in *l. pen. C. ad Trebell.* quia debentur fructus fideicommissario, ac si hereditas esset verbo restituta, & translatum dominium.

Caf. 6.

Si vero fructus sunt collecti vivo testatore, & reperiuntur in hereditate tempore mortis ejus, veniunt in restitutione: sicut alia bona detraha quarta Trebellianica: & idem est, si reperiuntur pendentes tempore mortis testatoris, ut probant prædicta jura: & in effectu istam sententiam, & resolutionem ponit Glossa ordinaria, Bart. & communiter Doct. in *l. in fideicommissarium*, ff. ad Trebell. Glossa ordinaria Bart. Bald. & communiter Doct. in *leg. jubemus*, C. eod. tit. Angel. Imol. & Moderni in *l. Centurio*, infra isto titulo.

18

Item quero, si heres gravatus restituere, quod supererit ex hereditate tempore mortis ejus, an valeat tale gravamen, & in quo possit vel debeat verificari? & resolutivè dico, quod voluntariè vel dolo, grati minuendi fideicommissum: nihil potest alienare, sed tantum bona fide, & ex necessitate, causâ conservandi vel augendi patrimonium, vel debita & onera solvendo; textus est singularis in *l. Titius*, ff. ad Trebell. & ibi Gloss. ordinaria Bart. & communiter Doct. facit text. in *l. sed si lege*, §. *quod autem*, ff. de petit. heredit. text. in *l. in fideicommissis*, §. *numquam*, ff. de usuris. H. diè tamen hoc casu teneat talis heres gravatus reservare quartam fideicommissarii, & ut res partes potest liberè dimovere, & alienare; textus est formalis & expressus in *authentic. contra eum rogatus*, C. ad Treb. & unde sumitur, & utrobique Doct. quo casu tenetur heres cavere prædictam quartam reservare, & in super facta alienatione poterit fideicommissarius in rem agere contra possessores rei vindicatione vel hypothecaris, licet ex causa dotis, vel propter nuptias, vel in redemptionem captivorum, vel propter expensas, vel alimenta sibi necessaria, possit alienare, ut ibi disponitur.

Item adde, quod de jure antiquo tale fideicommissum non dicebatur universale: & idè non poterat heres cogi adire & restituere, sed hodie cum teneatur saltem reservare, & restituere quartam, bene potest cogi adire hereditatem, ita Paul. de Castr. in *d. l. Titius*, ff. ad Trebellian. & in *l. cogi*, inde queritur, eodem tit.

Ampl. 1.

Henz



Ampl. 2. Item adde, quod in prædicto casu posset inferri, quod si talis hæres gravatus nulla bona alienavit, teneatur omnia bona fideicommissario restituere, & non posse quartam Trebellianicam detrahere, cum tale fideicommissum non sit universalis, nec sequatur ejus naturam, vel qualitatem, & in terminis ita tenet Angel. de Perusio in *d. l. cogi, inde quaritur, ff. ad Trebellianum*, sed contrarium, & melius tenet ibi Paul. de Caltr. 1. col. num. 3. & ante eum Bartolus in *d. l. Titius, finali quest. & ibi Alex. finali columna & questione*, & notabiliter Joan. de Imol. in *leg. ille a quo, §. non omnis, eodem titulo 1. col. versic. item nota*, idem etiam tenet Petr. de Bellaper in *d. l. aubent. contra cum rogatus, finali columna & questione*, & ibi Cynus, Salic. & communiter Doctores.

Ampl. 3. Item adde, quod si hæres gravatus in prædicto casu, quartam fideicommissario restituit in vita, & alia bona sibi retinuit, non potest fideicommissarius post mortem hæredis gravati, quod superfit, vel aliquid petere, quasi videatur inter eos tacitum pactum inducitur de amplius non petendo: ita singulariter Salic. in *d. aubent. contra cum rogatus, in fine*, pro qua sententia & conclusionem facit textus in *leg. cum quo de peculiar. §. fin. ff. ad leg. Falc.* & in *l. 1. §. vel parens, si quis a patre fuerit manumissus*, & ibi Bart. & Doctores.

Ampl. 4. Item adde, quod si ex pretio vel pecunia in hereditate reperta, vel, ex venditione aliquarum rerum alias comparavit, illa veniunt in restitutione, quia in universalibus pretium succedit loco rei vel e contra, textus est in *l. Imperator, §. fin. cum l. seq. ff. de legat. 2.* ubi omnino vide notabilem distinctionem Bart. in *l. si rem & pretium, de petir. hered.*

17. Item quæro, an hæres gravatus restituere hereditatem alteri, teneatur ei restituere bona, quæ habuit ex substitutione pupillari ex judicio & testamento ipsius testatoris, ut si quis est institutus hæres cum pupillo, & ei est datus substitutus pupillaris, qui gravatur hereditatem, vel bona restituere, an teneatur omnia bona quæ habuit ex substitutione pupillari, restituere? & magis trahitur dico, quod si hæres gravatus adivit coactus, tenetur indistinctè restituere: quia ejus, quod annullate vel impugnare voluit, nullam commodum apud eum est remanurum, textus est in *l. ita tamen, qui suspensam, ff. ad Trebell.* & ibi Gloss. ordinaria & communiter Doctores. Si verò spontè adivit, tunc non tenetur restituere bona sibi provenientia ex substitutione pupillari; ita probat ibi textus à contrario sensu quod notabiliter intellige, quando post gravamen impostam, & ipsam substitutionem fideicommissariam fecit substitutionem pupillarem, secus verò si prius fecit substitutionem pupillarem, & post ipsi fecit gravamen, & substitutionem fideicommissariam, quia tunc omnia bona tam testatoris, quam pupilli veniunt in substitutione fideicommissaria, argumento textus singularis in *l. Marcellus, §. quidam liberis, ff. ad Treb.* quod iterum subintellige in casu dubio, in substitutione fideicommissaria simpliciter facta. Secus verò, si expressè dicitur in ea, quod teneatur hæres gravatus omnia bona, vel omnia quæ habet, & sibi relinquuntur à defuncto, restituere, quia tunc indistinctè omnia veniunt restituenda, modò gravamen & sic substitutio fideicommissaria præcedat substitutionem pupillarem, modò sequatur, ita

Distinc.

probant prædicta jura: & ibi communiter Doctores, & in terminis probat textus singularis & expressus in *leg. si fundum per fideicommissum, §. finali cum leg. leg. ff. de legatis 1.* ubi habetur, quod pater potest gravare substitutum pupillarem in bonis ejus, & in bonis ipsius pupilli.

Item etiam quæro, si testator instituit plures hæredes, vel plures filios, & uni eorum fecit prælegatam vel meliorationem tertii, & quinti vel partis ejus, & hanc meliorationem gravavit per fideicommissum bona restituere cogendi vel alteri tertio, an in tali gravamine vel substitutione fideicommissaria veniant illa prædicta legata & meliorationes, & certè articulus est notabilis & subtilis, in quo breviter & resolutivè dico, quod si testator generaliter dixit, quod talis hæres gravatus restituat omnia bona, quæ habuit à testatore, vel omnia sibi relicta in testamento, vel similia, tunc in substitutione fideicommissaria veniunt bona hæreditaria, & similiter prælegata & meliorationes, textus est notabilis & expressus in *l. cum vicem, C. de fideicom.* & ibi Gloss. ordinaria & communis opinio textus in *l. cum pater, §. fidei tua ff. de leg. 2.* & ibi commun. Doct.

Si verò testator non substituit generaliter, sed dixit, quod talis hæres gravatus restituat hereditatem, vel partem hereditatis sibi relictam, tunc in substitutione tantum veniunt bona hæreditaria titulo institutionis relicta, non verò prælegata, vel meliorationes, textus est singularis & unicus in *l. Marcellus, §. quidam liberis, ff. ad Treb.* quem ad hoc reputant ibi singularem & unicum Dynus, Albericus, Angelus, Alexander, & communiter Doctores facit etiam bonus textus in *l. si Titius ex parte, ff. de legat. 3.*

Si verò testator simpliciter & absolute dixit, quod Titium substituebat Seio hæredi, non dicendo, vel declarando in quibus bonis, tunc aut fecit substitutionem post ipsam institutionem, & etiam post ipsa prælegata, & tunc in omnibus bonis videtur substituitus, & omnia bona tam hæreditaria, quam prælegata veniunt in substitutione: aut fecit substitutionem post institutionem, & ante prælegata: & tunc in substitutione tantum veniunt bona hæreditaria titulo universalis institutionis relicta, non verò prælegata, vel meliorationes, text. est singularis & unicus in *l. Titia, ff. ad leg. Falc.* quem ad hoc reputant ibi singularem & unicum Dynus, Bart. Alber. Angel. Paul. Imol. Alex. & communiter h. Doctores.

Item quæro, an hæres gravatus teneatur restituere ea quæ habuit virtute juris accrescendi, ut si testator instituit plures hæredes, & unum eorum gravat suam partem alicui restituere, & post à sibi accrescit pars vel portio coheredis, an talis hæres gravatus teneatur restituere tam hereditatem, vel partem, quam immediate habuit à defuncto, quam etiam partem quam habuit à coherede virtute juris accrescendi? & breviter, & resolutivè dico, sic, quia portio defecta accrescit portioni, non vero personæ: ideo sequitur ipsam rem & portionem ubicunque vadat, argumento text. in *l. si totam ff. de acquirend. heredit.* ubi dicit textus, quod si plures sunt hæredes instituti, & unus eorum gravatur suam partem restituere, & restituit, & postea deficiat alia pars vel portio coheredis, portus illa accrescat fideicommissario, quam hæredi directò gravato, ex prædicta ratione: quia jus accrescendi sequitur rem & portionem, & non personam, & ita tenet ibi Bartolus & communiter Doctores,

18. Prælegata uni ex hæredibus facta, an veniant in partem hereditatis.

20. Hæres gravatus restituit coheredibus intelligitur pro portionibus hereditatis.

19. Hæres gravatus an teneatur restituere quod habuit jure accrescendi.

Doctores, & per illam textum in casu proposito ita tenet expressè Bartolus in *leg. Marcellus, §. quidam liberis, ff. ad Trebellian. prima columna, in fin. num. 7.* & ibi communiter Doctores, facit etiam textus in *l. si Titio versic. finali, ff. de usufruct. melior textus & notabitur in *l. si in testament. in fine de vulgar. & pupillari.**

Item quæro, si testator instituit plures hæredes, & unum vel quosdam eorum gravat coheredibus suam partem restituere, an videatur gravatus equaliter restituere, vel pro portionibus hæreditariis, quas habuerunt in institutione & resolutivè dico quod regulatier ex mente testatoris videtur gravatus restituere pro portionibus hæreditariis, non verò equaliter, vel viriliter, textus est capitalis & expressus in *leg. quatuor, ff. ad Trebellian. & ibi Gloss. ordinaria, Bartolus & communiter Doctores, textus in *leg. si in testamen. de vulgar. & pupill.* ubi plus addit ibi textus notabiliter in fine, quod pars, quæ obveniret per jus accrescendi, est computanda & inspicienda, ut etiam pro ea parte fiat sibi restitutio cujus verba sunt. Nec interesse jure institutionis quisque ex majori parte hæres factus esset, an quòd per legem alteram partem alicujus vendicasset: & ibi notat Bartolus: Baldus, & communiter Doctores; confirmatur, quia in jure accrescendi inest quedam tacita substitutio, ut in *leg. si Titio & Marcio, §. Julianus, ff. de legatis secundo*, textus in *leg. qui liberis, §. finali, eod. titulo*, textus in *leg. si plures eodem titulo*, textus in *leg. coheredibus, versiculi primo, eodem tit.* textus in *leg. turpia legata, §. finali, ff. de legatis primo*, textus in *leg. si hæredes nominatim, eodem titulo*, textus in *leg. si plures gradus, ff. de legatis tertio*, textus in *leg. virum, §. fin. ff. de rebus dubiis*, textus in *l. prima, Cod. de impuber. & aliis substit.* textus in *§. sed & si ex disparibus, Insti. de vulgar. substit.* & idem disponit textus de jure regio in *leg. tertio, titulo 5. 6. parte*, cujus ratio vera & communis est: quia, eadem voluntate & affectione, quæ in prima institutione testator eos vocavit pro partibus assignatis, pro eisdem videtur vocare in substitutione, & secunda institutione. Et adde, quòd omnia ista procedunt & habent locum, nedum in substitutione obliqua fideicommissaria, de qua loquimur, sed etiam in substitutione directa vulgari pupillari, & reciproca: ita expressè probant & disponunt jura superiora, & ibi communiter Doctores.*

Ampli.

Limit. 1.

Substitutio per nomina appellativa.

illud inspicitur, quod præcessit, textus est singularis & unicus in *leg. si communis servus, ff. de stipul. servor.* ubi habetur, quod si servus stipulator dominis suis simpliciter, vel nominibus appellativis, pro portione dominica eis quaritur: si nominibus propriis, equaliter, & viriliter eis queritur, si verò utriusque nominibus, tamen propriis, quam appellativis, inspicitur quòd præcessit, & ad hoc reputat ibi singularem & unicum Joan. de Imola, & commendat ceteri Doctores, & reputat singularem & unicum idem Joan. de Imol. in *d. l. aubent. ff. ad Trebell.* & notat & commendat ibi Gloss. ordinaria, Bartolus, Albericus, & communiter Doctores, secundo intellige, quòd quando testator non est usus nominibus appellativis, denotantibus hereditatem, sed aliis indifferētibus, denotantibus consanguinitatem, vel officium, vel qualiter personarum, ut si instituit plures fratres, vel consanguineos hæredes, & quemdam alium hæredem gravavit fratribus, vel consanguineis, restituere hereditatem, quia censetur facta substitutio nominibus appellativis, & debet fieri restitutio pro portionibus hereditatis, textus est singularis in *leg. Lucius, §. Marcia et secundo, ff. ad Trebell.* quem ad hoc notat & commendat ibi Doctores antiqui, & reputat singularem & unicum Joan. de Imol. & reputat mirabile Angelus, & alii doctores in *leg. turpia legata, §. fin. ff. de legatis 1.* Tertio intellige, præterquam si tales substituti sunt equaliter gravati, ut aliena summa, vel quantitate equaliter danda, vel restituenda: quia tunc equaliter videtur substituti, modò sunt vocati nominibus propriis, modò appellativis, text. est in *d. l. aubent. in fine, ff. ad Trebell.* & ibi notat communiter Glossa ordinaria, Bartolus & communiter Doctores. Quarto intellige, præterquam si inter hæredes nominatos nominibus appellativis sit pater, vel colon, ut hæredem, quem instituit in tali parte; substituitur: quia tunc equaliter & viriliter admittuntur, ita Cuman in *d. leg. turpia legata, §. fin. de legatis 1.* & Jaf. sed ego teneo contrarium per prædicta jura & rationes.

In dubio tamen semper videtur, & debet intelligi substitutio facta per nomina appellativa, vel indifferētia, & non propria, ut sic fiat divisio pro portionibus hereditatis, non vero equaliter, textus est singularis in *leg. in leg. si plures in fine, ff. de vulgar. & pupill.* ibi nisi alia forte mens fuerit testatoris, quod vix credendum est, nisi evidenter fuerit expressum, & ad hoc summè notat, & commendat ibi Gloss. ordinaria, Bartolus & communiter Doctores. Ex quo infero sequentia: Primo, quod si testator instituit hæredes, quos nominavit nomine proprio, & postea dixit, Gravo talem hæredem suam partem restituere hæredibus meis, quos supra nominavi, videntur vocari & substitui nominibus appellativis, & debet fieri divisio inter eos, pro portionibus hereditariis; & in specie ita tenet Barr. *d. l. turpia legata, §. fin. ff. de legatis primo*, & ibi communiter Doctores, probat textus in *l. antepen. ff. de duobus reis*, & ibi Glossa ordinaria & communiter Doctores.

Secundo nota, infero, quod si testamentum, in quo continetur substitutio, est nuncupativum, forè testes non recordantur quibus verbis, vel nominibus usus est testator, semper debet præsumi fecisse substitutionem nominibus appellativis, ita Jaf. in *l. 1. C. de impuber. aliis fin. colum. n. 6.*

L. 1. imi



21  
Substitutio facta pluribus an debeat verificari in persona omnium.

Item quero, si substitutio est facta pluribus an requiratur, quod verificetur in persona omnium, an verò sufficiat, quod verificetur in persona unius tantum, qui articulus est singularis, sub illis & quotidianus, in quo magistraliter & resolutivè dico: quod si loquimur in substitutione vulgari, & fiat separatim, vel particulariter, bene sufficit quod verificetur in persona unius tantum, ut admittatur substitutus, ut si testator dicat: si Titius non sit hæres, sit hæres Seius, & si Cajus non sit hæres, sit hæres Seius, nam tunc uno tantum eorum repudiante vel excluso, admittitur substitutus in ejus parte & portione licet alter cohæres adeat, ita probat textus in l. penult. ff. de injust. rapt. textus in l. pater filium, §. fin. ad l. Falc. secundum verum intellectum, textus in l. ex duobus §. filium, infra isto tit. de vulg. & pup. textus in l. cohæredi, §. cohæres, eod. tit. & facit etiam ad hoc illa regula quæ habet, quod substitutus præferatur conjuncto & potentius est jus substitutionis, quam jus accrescendi, quam probat textus in l. 2. §. si duo ff. de bon. posses. secundum tabul. text. in l. unie. §. pro secund. C. de casu. tollen. text. in aut. hoc amplius. C. de fideic. & traditur & notatur in l. qui parvi, ff. de acquir. hered. Et idem est, si fiat alternativè: ut si filius, aut Cajus non sit hæres, sit hæres Seius, text. est in l. si qui ducenta §. aurum, ff. de reb. dubiis, & facit regula quæ habet, quod in dispositione alternativa, sufficit alteram partem esse veram, ut in l. illud aut illud, ff. de constitu. pecun. & in l. ubi autem non apparet, §. qui illud aut illud, ff. de verb. obligat. cum simil. vel fiat distributivè, ut si quis eorum, vel alteruter eorum non sit hæres: sit hæres Seius: quia tunc non repudiante, vel excluso, admittitur substitutus text. in l. qui filii, §. 1. ff. de legat. 1. & ibi communiter Doctores. Si verò substitutio fiat pluribus simpliciter, vel indistinctivè vel copulativè, vel collectivè, vel denique conjunctim, ut quia dicit testator: Si Titius & Cajus non sint hæres, vel si nec Titius nec Cajus sint hæres, vel si non sint hæres, vel si prædicti vel præfati, vel quænti non sint hæres, vel si neuter eorum sit hæres, vel si uterque non sit hæres, sit hæres Seius, vel quibus substituo Sejum: tunc necessariò requiritur, quod in persona omnium verificetur substitutio, & omnes hæres instituti repudiant, & excludantur ad hoc, ut admittatur substitutus: quia ex mente testatoris constat, & colligitur quod requiritur quod in persona omnium verificetur substitutio, & non sufficiat in uno verificari: ita probat text. in l. quidam testamento Proculus, infra isto tit. text. in l. quomovis, C. de impub. & aliis, text. in leg. si hæredi plures ff. de condi. inst. text. in l. si quis ita stipulatus fuerit, ff. de verb. oblig. Et in effectu, licet per plura verba, & certè non sit declarando, istam sententiam & resolutionem ponit Bart. in ista l. prim. de vulg. & pupill. 10. column. num. 48. & ibi Alexan. 13. column. num. 40. Socinus singulariter & magistraliter 82. col. vers. circa secundam questionem, qui prosequitur per 4. column. Franc. de Ripa, 37. col. n. 187. Paulus de Castro, & communiter Doctores. in leg. quidam testam. eod. tit. idem Bartol. in l. hæres mei, §. cum ita ff. ad Trebellian. fin. col. vers. ut liquet materia, & ibi Alber. Angel. Paulus, Imola, Alexand. & latius, quam alibi, Ripa 24. col. num. 81. idem Bartol. & ibi communiter Doctores. in l. penult. ff. de injust. rapt. Bartol. Paul. Alex. Jaf. Corneus, Philip. Decius, Curtius, Jacob. de Sancto Georgio & communi-

ter alii Doctores, in l. quomovis, & in l. pen. Cod. de impub. & aliis. Adde tamen, quod licet eo casu, quo fit substitutio alternativè vel distributivè, sufficiat quod verificetur substitutio in persona unius tantum, & uno repudiante admittitur substitutus, ut supra proximè dixi: tamen hoc debet intelligi præterquam si instituti sint delibris, & substitutus extraneus: quia non admittitur substitutus, nisi omnibus institutis repudiantibus, & exclusis ab hereditate, argumento textus in leg. si is qui ducenta, §. idem si pater ff. de reb. dubiis, & facit textus cum ratione in leg. Cumanus, ff. de condi. & demonstrat. & in l. cum acutissimi, Cod. de fideicommiss. & confirmatur quia favore liberorum alternativa resolvitur in conjunctam, ut in leg. cum quidam, Cod. de verb. signific. per quam ita tenet Angelus de Perus. valde commendando in d. hæres mei, §. cum ita, ff. ad Trebellian. secundum column. numero quarto. Sed contrarium, & melius tenet Imola ibi & Ripa num. 187. nec obstat textus in dicit. §. item si pater, & in d. l. cum quidam, quia respondeat ut ibi per eos, & sic concludit quod omnia prædicta procedant & modo substitutio vulgaris fiat inter extraneos, modo inter filios. Secundò limita & intellige præterquam si sit substituta pia causa: quia semper admittitur substitutus uno tantum repudiante, illud est unicum, & singulare dictum Baldi in reper. c. si pater de testam. num. 6. 18. column. & reputat unicum, & non alibi Jaf. in dicit. hæres mei, §. cum ita ff. ad Trebellian. finali column. Sed contrarium & melius etiam in hoc tenet ibi Ripa, quia favore pia causa non debemus recedere à propria natura & significatione verborum, & dispositionis alternativæ.

Item adde, quod licet eo casu, quo fit substitutio simpliciter, & copulativè, vel conjunctim, &c. requiratur, quod in persona omnium verificetur substitutio (ut etiam supra proximè dixi) tamen debet intelligi, præterquam si testator prohibuit jus accrescendi inter ipsos institutos: quia tunc admittitur substitutus uno repudiante, & non admittitur alter cohæres, quia ex tacita mente defuncti colligitur, quod voluit eum preferri, & per consequens cessat ratio superioris conclusionis: ita tenet singulariter Angel. de Perusio in d. hæres mei, §. cum ita, secunda column. in medio, ff. ad Trebell. & Socinus in ista l. prima de vulg. & pupill. 38. col.

Si verò loquitur in substitutione pupillari, ut quia testator instituit plures filios impuberes hæres, & dedit substitutum pupillarem dico, quod si cuilibet pupillo separatim, particulariter, & de per se est facta substitutio, sufficit, quod in persona unius tantum verificetur substitutio, & admittatur substitutus, & sic cuilibet in pupillari ætate decedenti succedit substitutus, ex clauso pupillo cohærete & confratre, argumento text. in l. Papinianus, §. sed nec impuberes, ff. de inoffic. testam. & in l. vel singulis, infra isto tit.

Si verò fiat simpliciter, copulativè, conjunctim, vel distributivè, ut si testator instituit plures liberos impuberes hæres, & dixit, si prædicti filii mei, vel si talis & talis filius meus, vel si uterque filius meus in pupillari ætate decedat, tunc requiritur, quod in persona omnium verificetur substitutio: unde si omnes simul decedant, fortè in bello, ruinâ, naufragio, peste, vel quovis alio modo, itam admittitur substitutus ad hereditatem eorum, textus est formalis & expressus

Dist. 3

Lim. 1

Lim. 3

Dist. 4

Dist. 4

postea altero decedente debet ejus pars eidem Sejo restitui, argumento text. in l. penult. ff. de injust. rapt. textus in l. pater filium, §. fin. ad l. Falc. textus in l. cohæredi, §. cohæred. eodem titulo, sicut diximus in substitutione vulgari, & hoc casu nulla sit differentia vel distinctio an fiat inter liberos vel extraneos, vel superite persona, quæ ex tacita mente defuncti excludat substitutum, vel non, quia semper & indistinctè admittitur substitutus ad partem defectam post mortem unius tantum.

Si verò substituit simpliciter genericè & absolute, ut si dicat testator: Institutio Titium & Cajum hæres, & eos gravo, ut post mortem restituant hereditatem Sejo: quia similiter uno eorum tantum decedente, itam admittitur substitutus, & est verificata substitutio in ejus parte & portione, text. est formalis & expressus in l. Lucius, §. Cajo, ff. ad Trebellian. & ibi tenet, notat, & commendat Dinus, Bart. Albert. Angel. Paul. de Castr. Joan. de Imol. & communiter Doctores. text. in l. final. §. filium, ff. de legat. 2. ibi etiam communiter Doct. confirmatur, quia regulariter pluralitas resolvitur in singularitatem, ut in l. falsa, §. fin. ff. de cond. & dem. ubi dicitur, quod si testator legat duos vel plures servos qui reperiantur sui tempore mortis, & unus eorum est alienatus, & alter remansit in suo patrimonio, ille tantum debetur & venit in legato, ex quo inferunt ibi Doctores, quod si maritus & uxor, vel quidam alii simul, & in eod. instrumento donant Ecclesie, hospitali, vel pio loco, vel cuilibet alteri, bona sua post mortem eorum, & unus ante alium decedat, itam admittitur Ecclesia, vel alia Persona, cui est facta donatio, ad ejus bona.

Nec obstat, quod in substitutione vulgari contrarium disponatur, imò quod requiritur, quod in persona omnium verificetur substitutio, ut admittatur substitutus (ut supra proximè dixi) quia illud est verum, & procedit in vulgari substitutione, quæ habet locum, & verificatur ante aditam hereditatem, quo casu in dubio videtur testator conscrvare jus accrescendi inter hæres, secus verò in fideicommissaria in qua cessat jus accrescendi, cum verificetur, & habeat locum, post aditam hereditatem, unde admittitur substitutus in parte & portione primi decedentis, ex clauso cohærete, secundum prædictos Doctores.

Quod tamen limita, & intellige, quando talis substitutio fideicommissaria fit inter extraneos, secus verò si fiat in filios, vel descendentes, quia tunc superest persona, quæ ex tacita mente defuncti substitutum excludat, idè substitutus non admittitur post mortem unius tantum, sed post mortem omnium, argumento textus in l. penult. C. de impub. & aliis substitutionibus, in l. si quis cer. §. item si pater, ff. de reb. dubiis, & in l. qui duos, eod. tit. & in l. qui duos, infra hoc tit. & in l. cum avus de cond. & demon. & in l. cum acutissimi, C. de fideicommissar. & in l. generaliter, C. de inst. & substit. & in expresso ita tenet Bart. in l. quidam testamento, infra isto titulo. Et ibi Angel. de Perus. & magis communiter Doctores. idem Bart. in l. hæres mei, ff. ad Trebell. fin. col. vers. sic. item fallit, &c. & ibi magis communiter Doctores. & hanc dicit ibi magis communem Socinus 13. col. vers. circa secundum articulum, & hanc dicit etiam magis communem ibi Ripa, 38. col. num. 130. licet Socinus ibi & aliqui Doctores. quos ipse refert teneant contrarium.

Dist. 3

Limita præced. distin.

Ref. pond. ad argu.

Limitat. præcedens de claratio.

Lim. 1